



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1176. Usque Ad Annum 1203

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1763

VD18 90118022

§. 19. Guilielmus Archiepiscopus Tyriensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66394)

Sæcul. XII. Guilielmus Neubrigensis illius ævi Scri-
A. C. 1178. ptor loquitur.

*Guil. Tyr.
XXI. c. 26.*

Anno superiore millesimo centesimo septuagesimo septimo a Summo Pontifice vocati Præsules Ecclesiæ Latinæ in Oriente iter ingressi sunt, mense Octobri hoc anno millesimo centesimo septuagesimo octavo, ex quo Balduinus IV. Rex Hierosolymarum in solio sederet, quinto. Proficiscebantur Archiepiscopi duo, Guilielmus Tyriensis, & Heraclius Cæsareensis. Tum Episcopi quatuor, Albertus Bethlehemita, Rudolphus Sebastenus, Joscelinus Acriensis, Romanus Tripolitanus, cum Petro Priore S. Sepulchri, Patriarchæ Hierosolymitani Legato, & Rainaldo in monte Sion Abbate.

§. XIX.

Guilielmus Archiepiscopus Tyriensis.

*Bongars.
Præf. in
gesta Depet
Fri. n. II.*

Nullum istorum Præsulum fama magis celebravit, quam Guilielmum Tyriensem, quo etiam nemo elegantius aut accuratius Historiam Regni Latini Hierosolymitani nobis tradidit. Is in Oriente natus, sed parentibus Francis, in Francia literis operam navaverat. In Orientem reversum Fridericus Archiepiscopus Tyriensis, Rege Amalrico pluribusque aliis viris spectatissimis rogantibus, Ecclesiæ suæ Archidiaconum anno circiter millesimo centesimo sexagesimo septi-

septimo creavit. Illico Legationem ad Imperatorem Constantinopolitanum in negotio suscipiendæ in Ægyptum expeditionis obire jubetur; qua feliciter functus, elapsis inde duobus annis, Romam profectus est, tum ut privatas necessitudines curaret, tum ut etiam Archiepiscopi sui iram effugeret, quam insons patiebatur. Roma reducem Rex Amalricus Principis Balduini, filii sui novennis, moribus præfecit, tumque suadentibus Optimatibus aulæ suæ Cancellarium constituit. Anno millesimo centesimo septuagesimo quarto Guilielmus unanimi Clericorum populique consensu, quem Regis voluntas confirmabat, Archiepiscopus Tyriensis eligitur, atque octava die Junii in Ecclesia S. Sepulchri, Amalrici Patriarchæ Hierosolymitani manibus consecratur.

Manuel quoque Imperator Romam misit Georgium Metropolitanum Corcyrensem, Concilio interfuturum, & deinde jussu suo Fridericum Imperatorem aditurum. Sed eum, postquam Hydruntem decima quinta die Octobris anno millesimo centesimo septuagesimo octavo pervenisset, gravis morbus menses sex, quo temporis spatio celebratum est Concilium, lecto affixit. Quare ipso ab Imperatore Manuele domum revocato, ut in Concilio, quod Patriarcha

Sæcul. XII.
A.C. 1179.

*Ep. ap. Bar.
an. 1178.
Allat. de
Consc. c. II:
n. 6.*

Hist. Eccles. Tom. XVIII. E Con-

ſæcul. XII. Constantinopolitanus indixerat, ſederet,
 A C. 1179. Nectarius Abbas Caſulorum, nomine
 Græcorum, Concilium Lateranenſe fre-
 quentavit (*).

§. XX.

Concilium Lateranenſe tertium.

to. 10. Conc. A dſuere vero Epiſcopi trecenti & duo.
 p. 1530. t. 12. Videlicet ex Provincia Romana
 Spicil. p. 638 quinquaginta & unus, quorum Princeps
 Notæ ad erat Hubaldus Epiſcopus Oſtienſis, exin-
 Guil. Neubr. de elapſo biennio ad Summum Pontifi-
 p. 737. catum evectus, & Lucius III. dictus.
 Patr. Bitur. Præſules Italiæ univerſim numerabantur
 centum ſexaginta & unus, quos inter
 fuiſſe adnoto Romualdum Archiepiſco-
 pum Salernitanum, & duos Græcos ex
 Provincia Regienſi. Ex Franciæ Epiſco-
 pis eminebant Guilielmus Archiepiſco-
 pus Remenſis, Guarinus Archiepiſco-
 pus

(*) Ad hunc annum & locum Eminentis-
 ſimus Baronius ait: *Speſtat ad ejuſdem Roma-
 ni Concilii Acta, quod Græcorum Schismatico-
 rum Legatus Nectarius Abbas, eadem qua ve-
 nit animi indurata nequitia atque perversitate
 inflexus eſt, obſtinatus, poſt prolixas diſputa-
 tiones eſt reverſus ad ſuos, a quibus tanquam
 in Olympiacis Victor eſt receptus. Significant
 iſta literæ, quas ad ipſum tunc temporis de-
 dit Georgius Corcyræ Epiſcopus, eſt ipſe ea-
 dem fuligine tinctus.*